

etiam categorematica omnium illorum instantium, et actuum sic designatorum æquivaleret illi infinitati: sed illud præsuppositum non est verum, ut diximus.

XLII. Ex hac resolutione colligitur, quomodo idem dicendum sit de augmento intensionis per partes proportionales, et instantia inclusa in aliqua duratione finita, verbi gratia unius horæ, quia si quolibet instanti crescat intensio actus, et hora habet infinita instantia, illa intensio in fine horæ remanebit infinita. Non sequitur hoc, quia intensio illa non crescit determinate, et in actu nisi finite, nec instantia illa quæ designantur, et partes determinatæ sunt infinitæ, sed finitæ; solum vero continent infinita instantia, et partes syncategorematicæ, et in potentia, et hoc etiam ipsa intensio continet virtualiter, et in potentia. Unde per finitam durationem vincuntur infinita instantia, et partes in potentia, et per finitam intensionem infinitæ partes virtualis motus intensionis in potentia, et syncategorematicæ, actu enim infinita non sunt.

ARTICULUS III.

Quæ circumstantiæ necessario confitentæ sint in sacramento pœnitentiæ?

I. Præsupponenda est decisio Concilii Tridentini sess. XIV, cap. V, et canone VII, ubi loquens de confessione, et his quæ in confessione aperienda sunt, de circumstantiis peccatorum confitentis sic determinat: « Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre

exponantur, nec iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere. »

II. Ex quo textu dubitatio oritur de circumstantiis non mutantibus speciem, aut in aliud genus trahentibus, sed tantum aggravantibus, intra eandem speciem, an sint necessario aperiendæ in sacramentali confessione. Nam si attendamus determinationem Concilii solum de circumstantiis speciem mutantibus loquitur. Si vero rationem ejus ponderemus, videtur etiam ad aggravantes extendi. Determinatio enim Concilii expresse solum facit mentionem circumstantiarum, quæ speciem mutant, ut patet in prioribus verbis. Ratio vero quam reddit Concilium etiam aggravantes circumstantias complectitur, quia sine istarum notitia non potest censere iudex de gravitate criminum, neque pœnas pro delicto proportionatas imponere, aut debitam adhibere medicinam. Quomodo enim potest proportionatam pœnam imponere ei qui furatus est sex aureos, et ei qui furatus est sex millia, si uterque solum dicat se furatum esse quantitatem notabilem, et sufficientem ad peccatum mortale, transeatque quantitates furatas, cum tamen ille qui sex millia furatus est sine dubio audaciorem, et injustiorem, et perniciosiorem animum habeat, cum ad tantum proximo inferendum damnum proruperit, et sic longe efficaciori indigeat remedio, ac majori pœnitentia. Idem est de eo qui cognovit carnaliter consanguineam committendo incestum, et non vult explicare gradum consanguinitatis, sed solum dicit se commisisse incestum, et tamen si hoc commiserit cum sorore, vel matre, longe abominabilius peccatum sit, majorique pœnitentia plectendus ve-

niat, quam si cum consanguinea tertii, vel quarti gradus peccaverit.

III. Ut ergo certa ab incertis separemus in hac quæstione adeo necessaria pro conscientis fidelium, tria in hac parte sunt certa. Primum est, quod licet circumstantia non mutet speciem peccati ex parte objecti sumptam, si tamen mutat speciem reatus, scilicet de veniali in mortale, talis circumstantia quando mortale reddit peccatum, confitenda est, verbi gratia licet furtum parvæ quantitatis et magnæ sint ejusdem speciei ex parte objecti moralis et opposita eidem virtuti justitiæ, tamen sunt diversæ speciei theologicæ, quæ considerat aversionem a Deo fine ultimo vel non aversionem, reatum æternæ pœnæ vel temporalis. Et quia omnia peccata mortalia in confessione aperienda sunt, ideo si illa circumstantia quantitatis, aut quæcumque alia mutet peccatum veniale in mortale, oportet talem circumstantiam aperire, quia oportet omne mortale peccatum manifestare.

IV. Secundo certum est, quod quando circumstantia ita diminuit, quod mutat de mortali in veniale, talis circumstantia non est necessario confitenda, quia venialia non sunt de necessitate confitenda, ergo circumstantia faciens veniale per se non pertinet ad confessionem.

V. Tertio certum est, quod si in eodem actu conjungantur duæ malitiæ peccati mortalis, utraque debet explicari in confessione, licet non utraque constituat speciem essentialem actus moralis peccaminosi, sed altera solum accidentalem, verbi gratia si quis committat furtum in loco sacro, ex quo ille actus habet duplicatam malitiam furti et sacrilegii, utraque debet explicari in confessione, licet hæc secunda accidentalis sit respectu primæ. Ra-

tio est, quia omnia malitia mortalis, sive eodem, sive diverso actu committatur, confitenda est de necessitate, quia omnis malitia mortalis specialiter opponitur gratiæ, et debet remitti per sacramentum, quatenus subjicitur clavibus Ecclesiæ, ergo si illa malitia mortalis non subjicitur, non remittitur: ea autem non remissa, gratia non datur. Itaque ad confessionem per se pertinet quæcumque circumstantia mutans speciem, seu aliam speciem præbens, sive illa sit in eodem actu, sive in diverso; hoc enim non requirit Concilium quod sit in diverso actu, sufficit quod in eodem, quamvis ex hoc quod duplex malitia in eodem actu concurrat una earum necessario sit accidentalis comparative ad primam cui subordinatur. Sufficit ergo quamlibet malitiam esse mortalem, et de se sufficientem ad dandam speciem essentialem actui, quamvis per accidens non det nisi accidentalem, ex eo quod concurrat in eodem actu cum alia malitia priori, quæ hoc ipso, quod est prior, dat primam speciem, eamque essentialem.

VI. Reducitur ergo difficultas ad illas circumstantias, quæ nec mutant de veniali in mortale, nec diversam speciem etiam accidentalem præbent eidem actui, sed sunt pure aggravantes intra eandem speciem, ut in exemplo allato de circumstantia notabilis quantitatis furti ultra eam, quæ sufficit ad peccatum mortale, an tales circumstantiæ aggravantes sint necessario confitentæ. Et non est difficultas quando ista aggravatio fit per distinctos actus numero, ut si quis furatur mille aureos non unico furto, sed pluribus, quorum quodlibet sufficit ad peccatum mortale, talis enim tenetur illam pluralitatem actuum explicare, quia semper tenetur quis explicare numerum peccatorum,

seu omnia et singula peccata mortalia, ut docet Concilium Tridentinum citato loco, canone septimo, nec pertinet numerus actuum ad circumstantiam, sed ad diversitatem peccati.

VII. Et sunt duæ sententiæ. Prima docet non esse necessarium has circumstantias aggravantes confiteri. Pro qua sententia citat pater Suarez tomo de pœnitentia, disput. xxii, sect. iii multos, valdeque graves auctores, Albertum, Bonaventuram, Durandum, Paludanum, Antoninum, Medinam, Navarrum, Covarruviam, Turrecrematam et alios. Videturque expresse teneri a D. Thoma in quarto, distinct. xvi, quæst. iii, articulo ii, quæstione v, et adhuc expressius opuse. xii, articulo vi, ubi docet: « Quod circumstantiæ aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenentur quis confiteri, sicut nec peccata venialia. » Hanc sententiam judicat Suarez in praxi probabilem, et consequenter tutam, præsertim propter tantorum doctorum auctoritatem.

VIII. Secunda sententia docet debere confiteri has circumstantias. Quam sequitur ibi pater Suarez, et communiter Thomistæ, ut videri potest apud magistrum Nugno in secundo tomo de sacramentis, quæst. ix additionum, artic. ii, dub. ii, apud magistrum Ledesmam de sacramento pœnitentiæ, cap. xvi, qui sentit oppositam sententiam non esse probabilem, et pro sua citat Alexandrum de Ales, Richardum, Majorem, Marsilium, Cajetanum, Victoriam, Canum, catechismum Pii V. Nec D. Thomas stat in contrarium, ut statim videbimus.

IX. Hæc secunda sententia mihi certissima videtur, nec oppositam auderem consulere. Ducor primo auctoritate, deinde ratione. Ex auctoritate sumitur fundamentum in primis ex capite Consideret de pœ-

nitentia, distinct. v, quod sumptum est ex Augustino ubi multæ hujusmodi circumstantiæ numerantur, quas homo tenetur confiteri. Sic enim inquit Augustinus libro de vera et falsa pœnitentia, cap. xiv, unde sumptus est textus ille: « Consideret qualitatem criminis in loco, et in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, et quali fecerit hoc tentatione, et in ipsius vitii multiplici executione. » Et ponens ibi exempla multarum similium circumstantiarum, concludit: « Omnis ista varietas confitenda et deflenda est, ut cum agnoverit quod peccatum est multum, cito inveniatur Deum propitium. » Item in Concilio Wormatiensi, canone xxv dicitur: « Debere sacerdotem considerare causas, originem, modumque peccatorum. » Quod utique sine manifestatione talium circumstantiarum aggravantium fieri non potest. Favet Concilium Florentinum in decreto Eugenii papæ, ubi dicit: « Pœnitentem debere omnia integraliter confiteri, » ubi ly omnia complectitur omnia peccata mortalia, et quidquid ad rationem peccati mortalis pertinet; et ly integraliter, quidquid pertinet ad istas circumstantias aggravantes, quia istæ sunt, quæ integrant peccatum, et quasi sunt partes ejus integrales, quia intra eandem speciem augent, aut componunt ipsum. Favet etiam Concilium Tridentinum loco supra citato, quia licet exprimat solum circumstantias mutantem speciem, tamen ejus ratio eodem modo currit in circumstantiis aggravantibus, ut ponderatum est in ratione dubitandi, aut ratio quam Concilium affert, efficax non est. Denique in rituali Romano approbato a Paulo V, et cui tenemur conformari et sequi, in rubrica de sacramento pœnitentiæ, inter alia dicit: « Quod si pœnitens numerum, speciem et circumstantias

explicatu necessarias non expressit, sacerdos eum interroget. » Censet ergo pontifex ista tria necessario exprimenda esse. Non potest autem explicari, quod loquitur solum de circumstantiis mutantibus speciem, quia circumstantiæ speciem mutantem pertinent ad speciem peccatorum. Distinguit autem pontifex circumstantias a specie, dum dicit quod speciem, numerum, et circumstantias exprimat, ergo loquitur de aggravantibus, et non solum speciem mutantibus. Videatur etiam S. Thomas in quarto ad Annibaldum, dist. xvi, articulo iii, quem infra solutione ad primum referimus.

X. Ducor secundo ratione, quia secundum moralem æstimationem, et in ordine ad punitionem, et medicinam conscientiæ, potest circumstantia aggravans æquivalere, aut etiam superare multiplicationem peccatorum in numero, aut etiam in specie; ergo si tenetur aliquis confiteri numerum, et speciem peccatorum, etiam tenebitur confiteri aggravationem, quæ talem multiplicationem, et numerum peccatorum superat. Antecedens probatur, nam unum furtum mille aureorum superat in morali æstimatione centum furta ducentorum aureorum, quorum quodlibet surripiat duos aureos; et similiter grassator viarum, qui furatur centum ab itinerante gravius peccat, quam si eadem centum furaretur in civitate, vel in domo: et accedere semel ad sororem, vel matrem intra speciem incestus est abominabilis, et horribilior, quam accedere ad consanguineam tertii, vel quarti gradus bis vel ter. Et in tantum crescunt in gravitate, et morali æstimatione ista peccata ex circumstantiis aggravantibus, quod etiam in foro exteriori punitur pœna mortis furtum cum una circumstantia aggravante, quod non punitur sine illa, ut qui furatur

magnam quantitatem, ut quinque, vel sex millia aureorum unico furto, punitur pœna mortis, non qui furatur decem, vel viginti. Et grassator viarum, qui furatur viginti, vel centum ab itinerante punitur pœna mortis, non qui furatur eadem in platea, vel domo. Ergo si tenetur quis confiteri centum parva furta, quorum quodlibet est peccatum mortale, a fortiori tenebitur confiteri illam aggravationem unius furti, qua æquivaleret, aut superaret in damno, et morali æstimatione omnia illa centum.

XI. Et confirmatur, quia si quis tenetur confiteri centum furta quibus minus damnificat, solum ex eo quod multiplicantur in numero, et non tenetur illam aggravationem confiteri in uno furto per quam plus damnificat eo quod unico furto id factum est, verbi gratia si uno furto mille surripuit, ergo ex graviore peccato reportaret commodum, minus enim teneretur confiteri, quia unico furto tantam quantitatem sustulit, quam ille qui pluribus et multiplicatis actibus minorem abstulit, et sic reportat, et commodum ex sua malitia, et majori aggravatione, et consultius esset magnam quantitatem semel furari, quam pluribus furtis eandem, aut etiam minorem tollere, dummodo id fieret semper in quantitate sufficiente ad peccatum mortale.

XII. Denique confirmatur, quia sacerdos potest jure inquirere de istis circumstantiis aggravantibus, ut convenienter judicet, et mederi possit conscientiam pœnitentis, quia ex illis discernitur, quanta sit propensio, et audacia ad peccandum, et quanta conscientiæ relaxatio, et divinæ legis contemptus, quando nec a gravioribus circumstantiis et majorem horrorem incutientibus sibi temperat. Habet autem jus sacerdos ut sibi aperiantur ea sine

quibus non potest conscientiam ipsam penetrare, et malitiam perpendere, ut convenientem medicinam apponat. Ergo etiam tenetur pœnitens ea omnia sponte confiteri. Nam ea tenetur voluntarie dicere, quæ confessor potest jure interrogare, si quidem confessio illa spontanea et voluntaria esse debet, utpote ad remissionem peccatorum ordinata, quæ sine voluntatis mutatione non fit. Confessor autem non potest jure interrogare, nisi id quod ad medicinam, et curationem animæ necessarium est: si ergo interrogati confessario tenetur pœnitens respondere, etiam tenebitur ei sponte dicere si advertat, quia ea debet dicere, quæ ad suæ animæ curationem necessaria sunt, et ob eam rationem interrogatur a confessario. Constat autem non posse confessarium justam pœnam imponere, et medicinam adhibere pœnitenti, nisi istas circumstantias cognoscat, quia ex illis pendet animus, intentio, inclinatio, relaxatio, audacia, modus in peccando; ex his enim omnibus fit iudicium de ipsa conscientia, et de remedio et medicina illi apponenda. Et hoc ideo est, quia curatio conscientia non dependet solum ex ipsa gravitate peccati in se, sed ex effectibus, quos in anima relinquit, et modo quo ipsa voluntas peccato afficitur et in peccando utitur, quia diverso modo sic, vel sic curatur affectus. Ergo ut possit radicatus anima curari, necesse est circumstantias istas et modos aperire, quibus tota ista malitia cognosci potest.

XIII. Sed inquires: An idem dicendum sit de circumstantiis alleviantibus peccatum; an teneatur quis illas confiteri. Videtur enim ex ratione a nobis allata idem sequi, quia potest confessarius jure interrogare circumstantiam alleviantem, ut cognoscat quæ medicina, et quod

remedium adhibendum sit conscientia, ne forte nimis rigide procedat, et exasperet. Ex alia vero parte nimis durum videtur obligare ad confessionem harum circumstantiarum alleviantium, cum alleviatio et diminutio peccati potius excuset quam accuset; nemo autem tenetur confiteri, nisi illud quod tenetur accusare. Nec tenetur confiteri, nisi quod peccatum est, alleviatio autem peccati pro ea parte, quia alleviat, potius de peccato tollit, ergo diminutionem non tenetur confiteri.

XIV. Respondetur, quod si circumstantia istæ ita sint alleviantes, quod relinquunt peccatum in statu peccati venialis, certum esse quod non tenetur quis illas confiteri, quia totum ipsum peccatum a confessione exemptum est, hoc ipso quod veniale est. Si vero relinquunt illud in statu peccati mortalis, sed tamen intra illum statum allevient, et minus grave reddant illud, ut si quis furetur in minima quantitate requisita ad peccatum mortale, dicimus quod tenebitur tunc confiteri se furatum esse furto peccati mortalis, quantitatem autem alleviativam non tenetur per se loquendo confiteri, quia illa est excusativa a peccato non accusativa; in præsentia autem non est locus nisi accusationi, nec illa additio circumstantia peccatum est, sed peccati diminutio. Unde nec per se loquendo illius notitia conducit ad medicinam, et curationem conscientia, quia quod excusat et alleviat per se loquendo curatione, et pœna non indiget. Per accidens autem non est inconveniens, quod aliquando debeat quis confiteri circumstantiam alleviantem, quando videlicet illa conducit ad ipsam veritatem culpæ cognoscendam, ne erretur in veritate confessionis, et in medicina, et curatione adhibenda.

XV. Secundo inquires, qua regula possimus uti in praxi, ut videamus quæ circumstantia sit aggravans, ita ut teneatur quis illam confiteri? Respondetur non posse hoc regulari solum penes diversa præcepta, contra quæ peccatur per illam additionem, vel aggravationem circumstantia, quia si illa præcepta sint circa diversas virtutes, hoc ipso non solum sunt aggravantes, sed etiam speciem mutant, quia diversæ virtutes, diversas materias postulant, et circa illas versantur, et sic distinctam speciem malitiam afferunt, sicut virtutes, quibus opponuntur distinctam bonitatem. Si vero diversa præcepta concurrunt in eadem materia, seu specie actus ista non aggravant peccatum, etiam si eodem actu frangantur, quia omnia illa præcepta respiciunt indivisibiliter, id est, sub eodem motivo ejusdem speciei materiam super quam cadunt, et sicut unico actu possunt impleri sine nova additione bonitatis, ita eodem actu possunt frangi, sine additione novæ malitiæ, ut si in eodem die concurrat duplex præceptum ejusdem rationis, verbi gratia duplex præceptum jejunandi, aut audiendi sacrum, ut cum in die quadragesimæ simul est vigilia, aut cum festum de præcepto incidit in diem dominicum, tunc illa fractio utriusque præcepti non aggravat malitiam, sicut nec impletio addit bonitatem, quia sunt præcepta ejusdem rationis solum materialiter multiplicata, et sic pertinent ad idem motivum, scilicet ad obedientiam, unde dimanant illa præcepta sic materialiter tantum multiplicata. Nam si diversæ rationis sint, ut cum aliquid alias cadens sub præcepto, firmatur voto, ut cum quis peccat contra castitatem voto firmatam, tunc illa fractio voti non solum aggravat, sed etiam speciem mutat,

quia alteri virtuti opponitur, nempe religioni.

XVI. Quare illa videtur regula in hac parte tradenda, ut quando circumstantia intra eandem speciem ponitur, seu apponitur actui, si id quod superaddit, et gravat super speciem peccati est talis naturæ, quod id sufficiat ad peccatum mortale, talis aggravatio circumstantia debet confiteri de necessitate, alias non. Nam si aggravatio illa in eo quod superaddit mortalis culpa est, licet non mutet speciem moralem, ut ex parte objecti se tenet, sed intra eandem gravet, mutat tamen speciem theologiam, quæ præcise respicit offensam Dei, et ibi est additio offensæ mortalis, licet sit eadem species moralis.

XVII. Et quidem hæc regula facilius cernitur in circumstantia quid, id est, in damno secuto, in aliis non ita facile, sed oportet attente considerare illam superadditionem circumstantia, quomodo offensiva sit Dei graviter secundum se consideratam, licet non mutet speciem moralem (nam si solum superaddat aliquid veniale, satis constat non obligare ad confessionem) verbi gratia, in furto quantitas pertinet ad circumstantiam damni illati, quæ est circumstantia quid, seu effectus secutus. Si quis furatur quantitatem sufficientem ad peccatum mortale, verbi gratia duos, vel tres regales, si addat majorem quantitatem, verbi gratia dimidium regalis, illa non est aggravativa. Si autem addat quantitatem aliorum duorum, vel trium regaliū illa est aggravatio, quia etiam ratione sui damnum infert considerabile, et moraliter offendens. In circumstantia quis, seu personæ peccat quis, verbi gratia scandalizando alium ob qualitatem personæ, si addat majorem qualitatem, verbi gratia,